

excusare non posset. Quem enim totus mirabatur Orbis, solus ipse (quod erat mirabilis) non videbat suæ videlicet operationis opinionisve splendorem, sicut ille quondam vir simplex et rectus, nec solem cum fulgeret, nec lunam incedentem clare vidisse se memorabat (*Job xxxi, 26*).

13. Novissime cum exterioris habitaculi undique jam soluta compago, desideranti animæ liberum præstaret egressum, magnus ille dies illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies, ad cuius exitum vicini episcopi cum abbatum et fratrum copiosa multitudine fuerant congregati. Hora autem diei pene tertia singularis lucerna suæ generationis, sanctus ac vere beatus abbas Bernardus, a corpore mortis in terram viventium feliciter Christo duce magravit, ex filiorum circumstantium et inter graves singultus ac lacrymas uberes utrunque psallentium choro ad multorum, quos ipse præmiserat, cœtus transiens lætabundos, ad sanctorum cuneos gratulantes, ad obvia agmina angelorum. Felix anima, quam sic levabant excelsa suorum privilegia meritorum, quam sic pia filiorum prosequerantur inferiorum vota; sic quoque superiorum desideria sacra trahebant! Felix illi et vere serenus dies, quo plenus ei meridies Christus illuxit: dies cunctis vitæ suæ diebus tantis ab eo exspectatus desideris, expetitus suspiriis, frequentatus meditationibus, orationibus præmunitus! Felix transitus de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad Patrem! De quo etiam transitu ejus multa novimus apparuisse quam multis, et quidem non indigna relatu, sed difficile nimis singula vestigare, et scribere omnia nimis longum. Nam et usque modo multifarie multisque modis paternus erga filios amor, vere etiam nunc, imo nunc verius vivens et vicens, crebris revelationibus eorum dignatur solari lacrymas, relevare mœstitiam, ut quo dulcius ei congaudent, minus anxie doleant sibi. Si qua tamen ex his, minus prolixam desiderantia narrationem, lector scire desiderat, proprio magis et novissimo credimus reservanda capitulo.

14. Iterum cætera prosequentes, quanta possumus violentia animos avertamus ab illo tam gravi gemitu et rugitu, quo nimirum grex miserabilis, pastore migrante, personuit. Parcamus paginæ, et quantum possumus, stringamus oculos, palpebras complodamus adversus lacrymas, quibus in illo suæ claritatis abscessu valis nostra fluebat, Ecclesiæ protinus universæ calicem sui propinatura mœroris, cui hactenus consueverat stillare dulcedinem, gaudia fundere, fluere consolationes. Dum fidelis

(89) Eadem apud Claram-Vallem, uti et apud Cistercium vigeat disciplina, quæ olim apud Cistercienses communis fuit, excepto festo Dedicationis, quo mulieribus concessus est in Ordinis ecclesia aditus.

(90) Nempe tam per se, quam per abbatias Claræ-Valli subjectas. Nam Bernardus per se tantum

minister et sacerdos Altissimi feliciter ingreditur in locum tabernaculi admirabilis, ad altare Dei sacram ei et acceptabilem hostiam sui spiritus oblaturus; corpus etiam rite paratum et ornatum sacerdotilibus indumentis, oratorio beatæ Dei Genitricis infertur. Plurima quoque nobilium et ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba convenit, et vallem totam ploratus et ululatus multus implebat. Amarius tamen pro foribus monasterii lamentabatur sexus miserabilior mulierum, quod accedentibus ad beata vestigia viris, monastici Ordinis disciplina (89) inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum. Biduo mansit in medio gregis pastor exstinctus, dum pristina illa dulcissimi gratia vultus nil minorata, sed aucta, magis omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. Crescebat autem supra modum ruens undique populi multitudo, et intolerabilis jam fiebat impetus concurrentium, ac desiderabiles tenentium pedes, osculantium manus, applicantium panes, baltheos, **1157** nummos, et alia quæque servanda sibi pro benedictione, et variis necessitatibus profutura. Maxime tamen parati in diem tertium solemnem per loca proxima præstolabantur reponendi sacri corporis ejus horam, copiosius undique conventuri. Nam et secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, et tanto pietatis zelo stipati undique sacrum corpus obsederant, ut nulla pene episcopis reverentia, nulla fratribus haberetur. Unde veriti ne quid simile aut forte gravius accideret die tertia, præoccupantes horam, et mane divina ex more Sacrificia consummantes, sicut et biduum jam in celebratione Missarum et jugi fecerant psalmodia, purissimum illud balsamum suo vasculo commiserunt, in lapide reponentes lapidem pretiosum, optimam margaritam.

15. Consummatis ergo feliciter vitæ suæ diebus et annis circiter sexaginta tribus expletis, dilectus Domini Bernardus, Claræ-Vallensis cœnobii primus abbas, aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum pater (90), decimo tertio kalendas septembris inter filiorum manus obdormivit in Christo. Sepultus est autem undecimo kalendas ejusdem mensis ante sanctum altare beatæ Virginis matris, cujus fuerat devotissimus ipse sacerdos. Sed et pectori ejus ipso tumulo capsula superposita est, in qua beati Thaddæi apostoli reliquiæ continentur, quas eodem anno ab Jerosolyma sibi missas, suo jusserat corpori superponi: eo utique fidei et devotionis intuitu, ut eidem apostolo in die communis resurrectionis adhæreat. [Prius tamen, quam sacratissimum illud corpus tumulo redderetur, unus e fratribus, qui ex multis annis caduco morbo septuaginta duo circiter monasteria excitavit vel adoptavit, nempe in Gallia 35, in Hispania 11, in Belgio 6, in Anglia 5, totidem in Sabaudia et in Hibernia, in Italia 4, in Germania duo, duo item in Suecica, ac demum unum et alterum in Hungaria et Dania, ex Chronologia nostra.

graviter laboravit, plena fide opem flagitaturus accessit. Quem nunc usque superstitem novimus, et nihil unquam ex ea hora prædictæ infelicitatis expertum.]

16. Facta sunt hæc eodem anno quo beatus Papa noster Eugenius tertius, ejusdem patris sancti in conversatione sancta filius, ab hac luce, vel ab hac magis caligine migravit ad lucem, cujus merita in ipsa cui insigniter præfuit urbe miraculis pluribus illustrata coruscant: successore ejus Anastasio Romanæ Ecclesiæ præsertim, regnantibus autem in Romanorum imperio Friderico illustri; in Francorum regno piissimo rege Ludovico, filio Ludovici; principatum Ecclesiæ universæ ac totius creaturæ visibilis et invisibilis monarchiam tenente Dei Filio Jesu Christo, anno ab Incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimo tertio, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De revelationibus diversis post sancti Patris obitum factis.

17. Jam de supra memoratis revelationibus pauca dicturi, ab eo sumamus initium quod prædictum est anno septimo ante quam fieret. Erant duo fratres in monasterio, de sacra beati Patris vita et felicibus ejus actibus colloquentes: quorum alter ab ineunte adolescentia educatus ibidem, ad alterum ait: « Nosti quot annos sit victurus hic beatissimus Pater noster? » Cui ille: « Nescio, » inquit. Et alter: « Ego, ait, novi eum sex aut septem annos adhuc in carne victurum. » Hoc autem unde sciret, minime jam scire possumus, quia nec tum indicavit, et ante Patrem sanctum ipse decessit. Porro alterius hodieque superstitis relatione hoc verbum nobis innotuit, qui tunc magis miratus est se audisse, quando ut ab olim audierat, ita vidit. Talis vero ille est, de cujus testimonio nec nos ambigimus, nec cuilibet alteri qui eum noverit, credimus dubitandum. Neque id solum, sed quod non minori dignum admiratione videtur, nomen quoque et personam successoris ipsius, indicante sibi eodem fratre, extunc innotuisse testatur. Manifeste enim eadem hora frater ille prædixit, « quia dominus Robertus, qui hodie abbas est de Dunis, post hunc beatum Patrem abbas futurus est Claræ-Vallis. » Nam quod disjunctive sex vel septem annos victurum dicebat, ad **1158** hoc pertinuisse videtur, quod inventus sit terminus idem ultra sextum annum, intra septimum tamen.

18. Prope erat jam tempus, et festinabat Pater sanctus ad metam. Infirmabatur enim, sicut in hujus libelli principio memoravimus, adeo ut illa jam infirmitate ipsius perfici virtus, jam imminere exitus videretur. Interea fratres instare supplicationibus et obsecrationibus, quibus poterant, apud Deum. Unde etiam Sanctus ipse cognoscens eorum precibus desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere cœpisset,

PATROL. CLXXXV.

congregatis fratribus hæc eadem verba locutus est: « Quid tenetis miserum hominem? Fortiores estis, et invaluitis. Parcite, quæso, parcite, sinite me abire. » Prius tamen cum in summo periculo et timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas suas, uni eorum visio talis apparuit. Occurrebat cum multa exultatione Viro Dei extra monasterii claustra innumerabilis multitudo. In qua tamen processione, solos quatuor præuntes idem frater qui videbat agnovit: magnum illum dilectorem ejus atque dilectum, cujus et ipse in libro quarto de Consideratione cum laude meminit. Gaufridum episcopum Carnotensem; Humbertum quoque, qui Igniacensis cœnobii fuerat primus abbas; et duos ejus fratres germanos, Guidonem scilicet et Gerardum. Exceptus itaque reverenter, et post osculum pacis amica diu colloquia miscens Pater sanctus ac beatus, cum his quatuor stabat, exspectante seorsum multitudine cæterorum. Novissime salutantes eum prædicti viri, ex hoc sibi jam redeundum esse dicebant. Tum vero expalluit ille, et circumfusa sibi mœstitia internum declarans animi dolorem: « Quid ergo, ait, sine me vultis abire? » Et illi: « Non potest adhuc tuo, et nostro satisfieri desiderio, donec veniat tempus novorum. » Dicebant autem tempus novorum, quo fruges novæ colligerentur, sicut evidenter postmodum probavit eventus, dum in Augusto mense decessit. Mane ergo frater ille, cui hoc ostensum fuerat, consolatus est cæteros, velut jam imminuentem Patris obitum formidantes, et quod viderat et audierat indicavit. Adhuc autem hiems erat.

19. Eodem tempore altera quoque visio prioris confirmatio fuit: nisi quod evidentius jam utriusque completa veritas probat, quam evidenter in utraque quod futurum erat, Dominus revelavit. Videbat enim frater quidam, et ecce parabat Vir beatissimus ascendere Jerosolymam, jamque ipso in procinetu itinervis erat. Ad quem venerabilis Odo, qui a primis fere annis strenue satis et laudabiliter conversatus in monasterio, absentium consueverat præpositorum supplere vices, reverenter accedens, dicebat se præcessurum. Cujus visionis sic ostensa est veritas, ut prædictus vir Deo dignus ad cœlestem Jerusalem, ubi vere visio pacis, parantem jam egredi, et paulo post secuturum Patrem sanctum, felici functus legatione præiret.

20. Sed et abbas quidam, satis ei habitatione vicinus, nec minus affectione devotus, paucis diebus ante felicissimum Patris hujus excessum, videbat eum pretiosissimis ornatum sacerdotilibus indumentis, et excellenti perfusum gloria, cum ingenti solemnitate ad altare deduci. Ad cuius introitum ecclesia magna magnis resolutans vocibus conclamabat: *Puer natus est nobis* (*Isai. ix, 6*). Vere etenim puer ipse erat mitis et humilis corde; et, sicut parvulus, accipiens regnum Dei: in cuius merito gratulabunda natali angelica multitudo, et

omnis pariter Sanctorum ecclesia, dum nobis videretur mori, sibi illum nasci; dum hic consummaretur, ibi incipere, non tam sonoris vocibus quam votis paribus concinens exultabat. Si enim ad unius poenitentiam peccatoris tota illa coelestis regio in lætitiā suscitatur; quænam illi gaudia exhibuisse credendus est, per quem gaudia tanta receperat de tam multorum conversione et poenitentia peccatorum? Quis enim valeat aestimare, quantis in sæculari habitu et conversatione manentibus, quantis etiam ad alias virorum sea feminarum congregationes transeuntibus, **1159** per hujus fidelis famuli ministerium dedit Dominus poenitentiam ad salutem? Aut quis numeret eos qui sub ejus cura in centum sexaginta monasteriis per Dei benignitatem ad poenitentiam sunt adducti? Nam ex his solis, qui speciales ejus filii videbantur, præter eos qui jam cursum vitæ feliciter consummaverant, præter eos qui per alia loca fuerant propagati, ea die qua felicissimus Pater ex Clara-Valle montem ascendere meruit Clariorem, reliquit habitantes in ea septingentas ferme animas, Domino Servientes (91). Quid igitur mirum si gratas curiæ, si acceptus Regi, si exceptus cum lætitiâ et exultatione credatur: in quo gratia Dei usque adeo vacua non fuit, qui tam feliciter, tam efficaciter, plus omnibus sui temporis, et multarum retro generationum laboravit; qui talentum sibi traditum tam copiose multiplicavit, tanta denique lucra retulit de negotio? Sed de his hæcenus, ne quis nos arguat ejus, quam polliciti sumus, metas excedere brevitatatis.

21. Sane in monasterio prædicti illius abbatis, qui sic ejus natalem præviderat ea nocte, quam nobiscum Pater sanctus mane profecturus ultimam fecit, venerabili ejus præposito apparens, valedixit illi, et ait: « Noveris quia jam migro, nec ulterius hic morabor. » Quod ut ille indicavit abbati, accelerans abbas et Claram-Vallem veniens, ipso die Abbatem sanctum, sicut dixerat, reperit jam migrasse.

22. Frater Guillelmus de Monte-Pessulano, cujus et supra fecimus mentionem, vir magnificus olim in sæculo fuit, sed magnificentior in sæculi fuga. Ille in monasterio Grandis-Silvæ monachus factus, Patrem sanctum devotissime visitavit. Rediurus autem lacrymabiliter querebatur, quod non esset eum ultra visurus. Cui Vir Dei: « Ne timeas, ait, adhuc sine dubio me videbis. » Hujus effectum promissionis devotissimus ille Guillelmus expectans, ipsa nocte cum beatus Pater ex hac vita decessit, in monasterio Grandis-Silvæ apparentem sibi videre meruit, et dicentem: « Frater Guillelme. » Et ille: « Ecce ego, domine. » « Veni, inquit, mecum. » Ibant igitur pariter, et ad montem quemdam altissimum pervenerunt. Interrogabat autem Sanctus an sciret quo venissent. Ille vero se

(91) De numero Novitiorum vide infra lib. VII, cap. p. 12 et 29.

nescire professus est. Cui ipse: « Ad radices, inquit, montis Libani venimus. Et nunc manebis hic, ego autem ascendam in montem. » Interrogatus qua de causa vellet ascendere: « Discere volo, » inquit. Miratus ille: « Quid, inquit, vis discere, Pater, quem nulli hodie in scientia credimus esse secundum? Ad quem Sanctus: « Nulla, ait, hic scientia, nulla veri cognitio: sursum scientiæ plenitudo, sursum vera notitia veritatis. » Et in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subiit coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est, et occurrit protinus ei verbum illud, quod ad Joannem olim de cælo sonuit: *Beati mortui qui Domino moriuntur*. Ut ergo mane locutus est abbati suo et fratribus, Patrem sanctum ex hac vita migrasse dicebat. Et notantes diem ac diligentius inquirentes, ut audierant invenerunt. Euge, Pater sancte, qui ascensiones in corde disposuisti in valle lacrymarum, feliciter jam ascendisti de Clara-Valle in montem Libani, montem candidationis, plenitudinem lucis, celsitudinem claritatis. Innocens manibus et mundo corde ascendisti in montem Domini, ad divitias salutis: ad thesauros sapientiæ et scientiæ pervenisti, ubi pure puram videas veritatem, ubi unus tibi cum omnibus sanctis magister est Christus, ubi omnes jam docibiles Dei. Trahe nos post te, quæsumus, et de monte excelso misericorditer respice Vallem tuam. Adesto laborantibus, subveni periclitantibus, ascendentibus manum porrige. Dat fiduciam tua nobis ab olim experta, nec exinanita modo, sed amplius cumulata benignitas. Quin etiam visio, quam subnectimus, ab eadem nostra præsumptione non discrepat.

23. Proxima nocte postquam sacrum corpus sepulturæ traditum fuerat, quantam adhuc pro filiis sollicitudinem gereret Pater sanctus, et quomodo suos quos in mundo dilexerat, in finem quoque diligeret, evidenter ostendit. **1160** Apparens enim cuidam fratri in multa gloria, et fulgore magno vestis ac vultus, et desiderantem tenere cito pertransiens, aiebat: « Quia pro quodam fratre simplice veni. » Audierunt hoc fratres et mirabantur: sed circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis. Defunctus est enim quidam frater laudabilis admodum simplicitatis; et, sicut omnino credibile est, animam ejus tanto duce felicem, qui pro eo se venire dixerat, secum tulit. Paucis quoque expletis diebus, alteri cuidam fratri magnifice satis apparens, et arguens de suo nos doluisse discessu, post verba multæ consolationis, et promissionem felicitatis æternæ in sua perseverantibus obedientia et doctrina: « Hoc etiam scito, ait, et dicito fratribus, cujusdam vere sancti corpus, cujus et ego habeo vestem, in oratorio esse sepultum. » Dicebat autem episcopum Malachiam. Ipsius enim tunicam, in qua sanctus ille feliciter obdormierat, ad Misarum sibi servaverat celebrationem, et moriturus in ea sese jusserat sepeliri, sicut et sanctum illum

in sua sepelierat veste. Quod tamen verbum et ipsi fratri, et quampluribus aliis usque ad hanc visionem prorsus erat ignotum. Felix pontifex, cujus merita Pater sanctus et vivens prædicaverat, et defunctus. Felix charitas, quæ in morte non excidit. Felix societas, quam nec illud divortium tam crudele diremit. Gloriosi siquidem Patres quemadmodum in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

24. Nam et post dies circiter quadraginta abbas quidam ex majoris Britanniæ insula, sacræ illius societatis virtutem feliciter experiri meruit in seipso. Qui eodem tempore cum cæteris coabbatibus suis ex more Cistercium petens, in Clara-Valle remanserat, gemino quodam desperabiliter occupatus incommodo, pleuresis scilicet, et febris quotidianæ. Jamque eatenus longa vexatione defecerat, ut solum animæ ejus exitum fratres, qui ei nunquam derant, observarent. Cumque animum ejus angeret non tam desiderium vitæ presentis quam absentium desolatio filiorum, quod peregre moreretur, obnixè petiit ut ad tumulum sancti deportaretur Abbatibus: ubi cum orasset tota devotione qua potuit, beati quoque episcopi Malachiæ in aquilonari ipsius oratorii latere positum cogitavit visitare sepulcrum, auxilium flagitare; sed fatigationem veritas, et quasi jam securus de incolumitate, quod cogitaverat non invenit. Die altera iterum fratres advocans, ut ad oratorium veniat opem sibi postulat exhiberi. Causantibus illis: periculum siquidem vererantur: « Omnimodis, inquit, oportet ut sancti Malachiæ tumulum petam. Cum enim nocte præterita vix tenuiter obdormissem, expergefactus subito audiebam vocem dicentem mihi: Sanatus jam ab altera ægritudine tua, si ab altera vis sanari, episcopum pete. » Fecerunt illi ut ille voluit, et continuo factum est sicut dictum erat ad illum. Eadem die sanus factus, post paucissimos dies iter arripuit et incolumis reversus est ad suos.

25. Tuum in hoc opere spiritum, tuum agnoscimus, Pater dulcissime, zelum, tuam considerationem: tuum hoc opus, sic deferre collegæ tuo, ut hunc quoque ei communicares honorem et amorem cum quo verius et feliciter honorificaris in cælis. Imo vero tui sunt hæc omnia operis, tui muneris, Deus noster. Tu enim omnem replesti ab initio temporis terram præsentia tuæ divinitatis, omnem aliquando repleturus gloria majestatis: cujus tamen partes interim quasdam, et æterno præelecta loca consilio excellentius visitans, replesti speciali gratia sanctitatis. Fac, Domine, spirituali semper abundare frumento Vallem, quam ut faceres ream nomine clariorem, dignatus es tam eximie claritatis sideribus illustrare duobus. Custodi domum, in qua tibi geminum hoc tam pretiosum depositum custoditur. Fiat nobis denique juxta verbum tuum, ut ibi est thesaurus tuus, tibi sit et cor tuum (*Matth. VI. 21*), ibi gratia et misericordia, et respectus assidue pietatis omnibus adsit in tuo

ibidem nomine congregatis, quod est super omne nomen, sicut et tu super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

In codice Vaticano, n. 676, hic liber constat capitulis 23, quorum ultimum deest in vulgatis. Sic autem habet:

26. In memoria æterna justus Domino constitutus et suorum non negligit memoriam filiorum; agens post **1161** mortem peragensque miraculis quod suis adhuc vivens oraculis prædicebat. Cernitur in operibus virtutis ejus sermo ille vivus et efficax, et testamentum fidele, quod disposuit dilectis suis: « Agam, inquit, assidue Claræ-Vallensis familiæ curam, et plantationem meam continue fovens benedictionis irriguo, sic me præsentem beneficiis exhibebo, ut inde non videar aliquando recessisse. » Undique nobis materiam consolationis exquirat: ita ut nuper in ipsis partibus transmarinis, nostris inventus sit inhiare subsidiis. Factum enim post annos plurimos ab obitu sancti hujus, ut sanctitatis suæ signa de crucis signaculo radiarent, et quam pia cupiditate virtutem vivificæ crucis ambiret, ipse crucis consecrator ostenderet. Cum enim Sarracon dux Turcorum urbem Alexandriam, et adjacentem Ægypti provinciam disposuisset invadere, suæque subjicere ditioni; et rex Jerusalem christianissimus Amalricus, requisitus a Saracenis Ægypti, repentino impetu in præsidia subjectionis accingitur, timens videlicet et præcavens in futurum, ne si forte Turcos in Ægypto dominari contingeret, et majorem in Christianos agerent pro locorum vicinitate perniciem, et ipse interim ex Ægypto tributariam perderet functionem. Electis igitur militibus et instructo progressus exercitu, in occursum properat Sarraconis, vadens et progrediens usque ad alveum Nili fluminis, quod de paradisi fonte dissiliens, aridas Ægyptiorum irrigat regiones. Cumque venisset ad flumen, fecit illud navium potestate meabile, et relinquens in custodia pontis ex utraque parte fluminis milites peditesque non et paucos, et ipse cum trecentis equitibus fugientem Sarraconem insequitur, persequens eum et exercitum ejus grandem, quatuordecim millia Turcorum, et tria millia pugnatorum Arabum contrahentem. Illis autem itinere diei unius ante Regis impetum fugientibus, non deerant hinc inde nuntii de medio concurrentes, quorum alii suggerebant Regi ut multitudinem illam contritam et fame et lassitudine dissolutam jam jam consumpturum invaderet: et alii e contrario Turcos hortabantur, ut starent; facile admodum fore concludi paucos in manu tantæ multitudinis affirmantes. Convertitur ergo Sarraconis exercitus, et expectato Rege instruuntur ad pugnam, qui prius præcipites ferebantur in fugam. Adveniente autem nocte castramentati sunt juxta aquas, quæ utrumque exercitum stricto satis alveo dirimebant. Cumque obdormisset Rex, in ipso clypei sui concavo requiescens, confestim sibi in somnis beatus Bernardus apparuit, expo-

brans et improprians ei peccata sua, et quod non esset dignus vivificæ crucis lignum (quod de consuetudine appensum collo gestabat) in illo certamine circumferre. Statimque Rex territus et turbatus veniam **1162** petit, et Sancto qui loquebatur ad eum, peccata sua flebiliter confitetur. Tunc beatus Bernardus admota propius manu crucem sanctam quæ collo Regis pendeat, accepit, et benedicens ei trino signaculo sanctæ crucis, consolabatur eum dicens: Confide, Rex, in hoc signo vinces, et in periculo timoris magni, quale nunquam hactenus expertus es, sine læsione tui hostes evades. » Cumque hoc dixisset, visus est velle discedere, crucem quam a collo Regis acceperat portans secum. Rex autem apprehendens eum ait: « Non dimittam te nisi crucem dimiseris mihi. » Ad quem Sanctus: « Noli, inquit, noli, Rex, alios filios habeo quos oportet crucis hujus signaculo benedicere. » Et his dictis somnus abiit, et fulgor matutinus illuxit, factaque copia splendoris et lucis, uterque exercitus sibi invicem ad ineunda certamina propinquavit. Aggreditur Regis cuneus multitudinem copiosam, et in medio ejus qui in pelago maris absorptus inimicos crucis Christi sub crucis vexillo prostravit. Cadunt a latere suo mille, et multa millia a dextris ejus, et discurrunt undique triumphantes in Christi nomine Christiani, ita ut dum illi diversis pugnæ partibus dividuntur, Rex ipse solus in quodam congesti sabuli tumulo remaneret tam morti et interneconi proximus, quam longe erat suorum omnium solatio destitutus. Cer-

nebat ex eminenti stationis suæ loco Turcos undique concursantes. Nam jamque imminet sibi exspectabat interitum, nisi quia in eo quodammodo confidebat, quod se illis non ignorabat ignotum. Recordatus illico præteritæ visionis, et pia intra se vota conficiens, pollicitus est Deo et beato Bernardo, quod si de manu inimicorum vivus evaderet, crucem quam Sanctus petierat filiis ejus Claræ-Vallensibus destinaret. Continuo igitur triginta de militibus suis Regem ipsum a longe cognoscentes, acri in se certamine Turcos provocant ad pugnandum, ut vergente in illos fortitudine tota, conflictus Rex iterum ab hostibus et ignotus persisteret et securus. Quod cum quindecim milites de sacra Christi militia conspexissent, per confertissimos hostes violenter irrupunt, persequentes juxta quod scriptum est, unus mille, et duo fugantes decem millia in millibus suis (Deut. xxxii, 30). Associati ergo aliis triginta militibus, divisim et cæsis occurrentibus inimicis, ad Regem suum cum lætitiâ et victoria pervenerunt. Sicque factum est, quod et Rex juxta verbum sancti Patris nostri de beneficio sanctæ crucis donum ejusdem sancti Patris meritis apprehendit. Porro supra dictæ ordinem visionis idem ipse rex Richero abbati Salvationis ore proprio diligenter exposuit, qui eam postmodum in Gallicanis partibus fideliter nuntiavit; vir utique testimonii boni et conversationis honestæ, tam a mendacii suspitione remotus quam a vitæ corruptionibus alienus. Deo gratias. Amen.

HORSTII PRÆFATIO IN LIBRUM SEQUEM,

De miraculis per sanctum Bernardum editis.

I. Inter Sanctos miraculorum gloria celebres, eminere mihi Bernardus videtur, aut paucos sibi habere pares. Ut vel hinc facile sit obstruere loquentium iniqua et miracula posterioris ævi cavillantium ora. Nimirum non desunt etiam nunc Pharaones, qui obdurant corda sua ad visa vel audita tot prodigia, ne cogantur agnoscere Deum mirabilem in sanctis suis: sunt quoque nunc serpentes et aspides surdæ obturantes aures suas, ne audiant vocem incantantis sapienter. Quin etiam hodie reperire est cæcos et contumaces Pharisæos, aut peiores, qui potestati Satanæ isthæc ausint ascribere. Nempe otiosa censent miracula post clarum Evangelii lucem toto orbe diffusam, et quæ postmodum facta, etiam a viris fide dignissimis accepimus, etsi toto orbe spectante et attestante, hæc ipsi inter fabulas et figmenta, imo inter præstigias deputant. O cæcum et miserum hominum genus! qui videntes non vident, et audientes non intelligunt. Sed non est abbreviata manus Domini etiam hodie facere per fideles servos suos, quæ sensum et naturam superent, cum ita necessum fuerit. Hoc vero definire, nostrum non est, sed ejus qui omnia in pondere et mensura facit, cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Temerarium et impium foret, hic leges ac limites divinæ potentie seu providentiæ præfigere. Hanc ipsam tantummodo sancti Bernardi vitam inspicite, vos, **1163-1161** inquam, sanctorum gloriæ mastiges, cujus sanctitatem prorsus eximiam, præter quam quod scripta ejus, nedum gesta, ad vivum exprimunt, tot ac tanta irrefragabilis fidei testimonia comprobant, ut vel ipsa calumnia eam inficiari non audeat, sed et invitis, ac quantumvis invitis venerationem extorqueat. Miracula vero, etsi alias indubia, ac infallibilia sanctitatis argumenta non sint, in Bernardo tamen vitæ sanctimonia et miraculorum gratia, tam arcto sibi fœdere connexa fuerunt, ut aut stolidos, aut impios esse necesse sit, qui vel alterutram, vel utramque Viro sancto detrahere ausint.

II. Quocirca alii alii eum ornent elogiis: ego libens omnibus applaudo, quia nullum par ejus meritis invenio. Atamen Thaumaturgum per excellentiam non possum non appellare, visis scilicet tot ejus miraculis, et operantis tam familiariter, nec minus mirabiliter in eo virtutis divinæ testimoniis. Esto, sit non nemo sanctorum, qui hunc sibi titulum longi temporis præscriptione vindicet: non egre tamen is Bernardum in hujus tituli et honoris consortium recipiet. Quamvis vindicandæ sibi ipsi hac in parte laudis et gloriæ nulla viris sanctis æmulatio esse soleat. Bernardus certe studiose eam semper a se amoliri solitus est, sciens illi omnem debere gloriam qui operatur omnia in omnibus, et facit mirabilia magna solus. Nostrum nihilominus est, Deum laudare in sanctis suis, eoque diligentius recolere miracula, quæ divina virtute, cum Dei glo-

ria, aut fidei ac religionis confirmandæ causa, aut christiani populi salus id exigeret, sancti homines fecerunt, ne sine suo frustreretur, si a nobis neglecta, aut inofficioso, seu potius irreligioso silentio præterita fuerint. Præcipuus autem finis est, divinam asserere gloriam, ostendere potentiam, et orthodoxam potissimum fidei veritatem, seu ad confutandos incredulos, seu ad confirmandos fideles astruere. Ut vero jam alia infinita præteream, per unum certe Bernardum tam frequentia et illustria ad astruenda fidei argumenta edita video, ut illis Richardi de Sancto-Victore (lib. i de Trinitate, cap. 2) verbis christiano cuivis, si quando infidelitatis tentatione quatitur, cum Deo agere liceat: « Domine, si error est, a teipso decepti sumus. Nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ non nisi per teipsum fieri possunt. Certe a summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita et cum summa et authentica attestazione probata teipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Ita ille. Vereor ne excursus sit longior: non possum tamen quin sancti Gregorii Magni (homil. 11, in Ezechielem) verba valde hic opportuna recenseam. Ille postquam miracula sanctorum comparasset propugnaculis, virtutes eorumdem clypeis, quibus utrisque etiam nunc Christiani sese muniant ac defendant, sic ait: « Hi itaque (viri sancti) quam vera de Deo dixerint, testantur miracula, quia talia per illum non facerent, nisi de illo vera narrarent: et quam pii, quam humiles, quam benigni existerint, eorum testantur operationes. Si igitur de fide tentamur, quam ex illorum prædicatione concepimus, loquentium miracula conspiciamus, et in fide quam ab eis accepimus confirmamur. Quid ergo illorum miracula, nisi nostra sunt propugnacula? quia et muniri per illa possumus, et tamen hæc in manu arbitrii nostri non teneamus. Nam talia facere non valeamus, » etc. Hæc paulo prolixius afferre visum in gratiam eorum qui parum tribuunt aut fidunt miraculis, et sanctorum gloriam calumniis lacerant, nec honorant quos Deus sic voluit honorare. Spero hæc non ingrata aut inutilia lectori fore: certe ingenuus Bernardi cultor non improbabat.

III. His ab Horstio dictis addere licet, adeo Bernardi miracula illustria et omnibus ipso vivente, imo ante prædicationem crucis seu sacræ expeditionis, de qua in libro sequenti, comperta fuisse, ut Berengarius, ille Abælardi discipulus et defensor, in Apologia pro magistro suo, quantumvis Bernardo infensus, ea ut indubitata agnoscat. « Jam dudum, » inquit, Bernardum alloquens, « sanctitudinis tuæ odorem ales per orbem fama dispersit, præconizavit merita, miracula declamavit. Felicia jactabam moderna sæcula, tam corusci sideris venustata nitore, mundumque jam debitum perditioni, tuis meritis subsistere putabam. Sperabamus in lingue tuæ arbitrio cæli sitam clementiam, aeris temperiem, ubertatem terræ, fructum benedictionem. Caput tuum nubes tangebat; et, juxta vulgare proverbium, rami tui umbras montium transcendebant. Sic diu vixisti, sic Ecclesiam castis institutionibus informasti, ut ad semicinctia tua rugire dæmones autumarem, et beatulos nos tanto gloriaremur patrono. » Hæc ille, testimonium vel invitus veritati perhibens: etsi in consequentibus Bernardum traducat, quod Abælardum impugnaverit.

LIBER SEXTUS,

Seu miracula a sancto Bernardo per Germaniam, Belgium Galliamque patrata, anno 1146, in tres partes distributa, quæ singulæ suos præferunt auctores.

NARRATIO HERBERTI (92)

ABBATIS COENOBII MORENSIS,

De libro Miraculorum S. Bernardi, per insigne miraculum servato.

1165 Visitante nuper venerabili abbate Claræ-Vallensi Petro (93) monasteria sua (94), quæ in Remensi provincia, flante spiritu Dei, venustissime florent, nos quoque cum illo profecti venimus die quadam una cum ipso ad monasterium Vallis-Regis (95). Invenimus autem ibidem miraculorum sancti Bernardi multitudinem copiosam, quæ propter legentium tædium in codice vitæ ejus inseri non potuerunt. Nam si prolixius scriberentur, plurima inde volumina conficerentur. Hunc ergo Miraculorum librum, quem in Clara-Valle non habere comperimus, acceptum mutuo nobiscum ferre curavimus, ut eum transcribi faceremus. Portabatur autem in mantica, cum aliis

(92) Is postea archiepiscopus Turrium in Sardinia, qui tres libros de Miraculis, tum Bernardi, tum aliorum ejus discipulorum scripsit, de quibus infra.

(93) Fuisse hunc octavum abbatem Claræ-Vallensem, ac obiisse anno 1186.—scribitur in serie istorum abbatum apud Jungelinum lib. 1, pag. 25, Dictus etiam fuit *Monoculus*, de quo Manricus ad an. 1183,

septem libris, tam majoris quam minoris voluminis. Venientibus itaque nobis ad monasterium Longi-Pontis, contigit ut eorumdem librorum portitor equus cum cæteris ad aquam duceretur. Qui dum incaute dimissis habenis vadum excederet, lapsus in profundum stagni fluctuando et natantio ferme unius horæ spatio huc et illuc anxie pervagabatur. Exclamantibus autem qui aderant, quod equus ille librorum atque vestimentorum sarcinam habens cum puero superposito mergeretur; accurrit undique ut ei succurratur. Interim autem quadrupes, et ipse puer sub aqua latebant, nisi quod ora protensa modice superius apparebant. Quidam vero juvenis in-

cap. 4, cui præsens miraculum innectit. In prætermissis apud Bolland. ad diem 18 maii refertur idem Petrus.

(94) Scilicet Fusniacum, Bonum-Fontem, et Signiacum.

(95) *La Valroy*, in diocesi Remensi, filia Ignacii de linea Claræ-Vallis fund. an. 1148.